

anxietatis plenissimam, non partum ipsum præcise, designat: quoniam formatio foetus demum subsequitur, vel cum ipsa conjungitur, id quod dici de partu nequit. Paulus igitur & cum Paulo quisque Doctor fidus ecclesiae, & suo modo ipsa ecclesia est mater filiorum DEI. Fœmellæ a matribus prognatæ ipsæ quoque, suo tempore, naturæ congruo, concipiunt & partum edunt. In ecclesia autem mystico in sensu per frequenter hoc contingit. Soboles ejus, eaque citius, quam humana secundum naturam, a nativitate sua spiritali uterum genere amat, & mater aliorum fidelium evadit. Eadem, præcipue ubi Doctoris officio defungitur, dictum sibi putat istud: *ubi conversus fueris convertito fratres tuos*, quod perinde est, ac si dictum esse: cum ex Deo natus fueris, nasci ex te alios facito. Hujus sane præcepti Paulus observantissimus erat. Vix Ananias ipsum DEO pepererat, cum plurimorum liberorum, fidelium inquam, mater fœcundissima evaderet. *Ἐυθέως*, inquit *Lucas*, *Act. IX. v. 20. ἐν ταῖς συναγωγαῖς ἐκήρυσσε τὸν χριστὸν, ὅτι ἐστὶν υἱὸς τοῦ θεοῦ. Ἦ δὲ δεῖξ, continuo (ex quo scilicet conversus erat) prædicabat Christum in scholis &c.* Matres eosdem foetus sæpius haud gestant: abortivi uterum ipsarum secunda vice haud ingrediuntur. Ecclesia mystica, Mater fidelium, abortivos etiam non negligit. Paulus sane noster se Galatas *πάλιν ὠδῶναι*, *secunda vice parturire* ait; etsi *abortivum partum* alibi ipse se appellitet. Gestatio foetus opus est molestiæ tædiique plenissimum. Quod si tædia, quæ Paulus, tanquam fœcundissima fidelium Mater, devoravit, & cum ipso quisque Doctore ecclesiae devorare habet, ignoras, evolve II. ad *Corinth.* cap. XI, &
lon-